

USR LOMBARDIA- CUSL (Consulta Universitaria di Studi Latini)
Certificazione delle Competenze della Lingua Latina 2023- Livello B1

VALUTAZIONE

B1: 75% del punteggio totale 24/32

SOPHONISBA

Summarium

Bello Punico secundo, traiectis in Africam legionibus, Scipio cum Masinissa, Numidarum rege, societatem fecit et Syphacem, Carthaginensium socium et amicum, oppugnavit. Masinissa autem Sophonisbam, Syphacis uxorem, clam amabat. Bellum interea renovatur.

1	Scipio partem copiarum Laelio Masinissaeque attribuit et castra Syphacis invadere ignesque
2	conicere iubet. Singulos deinde separatim seductos obtestatur ut omnia diligentia expleant
3	curaque: se alia Punica castra adgressurum; sed non ante coepturum quam ignem in Syphacis
4	castris conspexisset. Neque ea res morata diu est. Castra uno impetu capta sunt. Masinissa ad
5	regium tabernaculum occupandum vadit. Intranti vestibulum eius in ipso limine Sophonisba,
6	uxor Syphacis, occurrit; et cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem cum armis
7	tum cetero habitu conspexisset, regem esse, id quod erat, rata, genibus advoluta eius,
8	supplicem misit vocem. Forma erat insignis et florentissima aetas. Itaque cum modo genua
9	modo dextram amplectens ne cui Romano traderetur fidem exposceret propiusque blanditias
10	iam oratio esset quam preces, non in misericordiam modo prolapsus est animus Masinissae,
11	sed amore captivae victor captus. Data dextra id quod petebatur concedit. At Scipio, qui iam
12	supervenerat, Masinissam monuit Syphacem populi Romani auspiciis victum esse. Itaque
13	quicquid Syphacis fuisset, praedam populi Romani esse; ipsam coniugem eius Romam oportere
14	mitti, ac senatus populi Romani de ea iudicium atque arbitrium esse. Masinissae haec
15	audienti non rubor solum suffusus sed lacrimae etiam abortae. Et cum Scipionem orasset ut
16	quantum res sineret fidei suae temere obstrictae consuleret - promisisse enim se in nullius
17	potestatem Sophonisbam traditurum - Masinissa concessit. Deinde, cum aliquantum temporis
18	consumpsisset, ingenti ad postremum edito gemitu, fidum e servis unum vocat, sub cuius
19	custodia regio more ad incerta fortunae venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad
20	Sophonisbam iubet.

Es. 1. Veraene an falsae sunt hae sententiae? (2)

1	Scipio partem copiarum Laelio Masinissaeque attribuit et castra Syphacis invadere ignesque conicere iubet. Singulos deinde separatim seductos obtestatur ut omnia diligentia expleant curaque: se alia Punica castra adgressurum; sed non ante coepturum quam ignem in Syphacis castris conspexisset. Neque ea res morata diu est. Castra uno impetu capta sunt.
2	
3	
4	

	VERUM	FALSUM
1. Scipio castra Syphacis incendio vastari exspectat, ut ipse impetum contra eadem facere possit		
2. Castra Syphacis facile a Laelio et Masinissa expugnantur		

Es. 2. Elige quid tibi rectum videatur. (2)

1	Scipio partem copiarum Laelio Masinissaeque attribuit et castra Syphacis invadere ignesque conicere iubet. <u>Singulos deinde separatim seductos obtestatur ut omnia diligentia expleant curaque</u> : se alia Punica castra adgressurum; sed non ante coepturum quam ignem in Syphacis castris conspexisset. Neque ea res morata diu est. Castra uno impetu capta sunt.
2	
3	
4	

1. L. 02: singulos separatim seductos. In hac narratione **seducere** significat:
- Laelium et Masinissam ad mutuam contentionem adducere, quasi de gloria aemulos eos Scipio facere vellet
 - distincte eos sibi adducere, quasi secrete cum eis Scipio locuturus esset
 - divisim eos petere, quasi cum eis Scipio subito locuturus esset
 - in amorem sui eos inducere, quasi fideles sibi eos Scipio facere vellet

2. L. 02: [Scipio] obtestatur ut omnia diligentia expleant curaque. In hac narratione **obtestari** significat:
- confitēri
 - precari
 - polliceri
 - adfirmare

Es. 3. Verane an falsa est haec sententia? (1)

4	Masinissa ad regium tabernaculum occupandum vadit. Intranti vestibulum eius in ipso limine Sophonisba, uxor Syphacis, occurrit; et cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem cum armis tum cetero habitu conspexisset, regem esse, id quod erat, rata, genibus advoluta eius, supplicem misit vocem. Forma erat insignis et florentissima aetas.
5	
6	
8	

	VERUM	FALSUM
1. Sophonisba, cum Masinissae auctoritatem agnovisset, ad pedes eius se proiecit		

Es. 4. Elige quid tibi rectum videatur. (3)

4	Masinissa <u>ad</u>
5	<u>regium tabernaculum occupandum vadit</u> . Inranti vestibulum eius in ipso limine <u>Sophonisba,</u>
6	<u>uxor Syphacis, occurrit</u> ; et cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem cum armis
7	tum cetero habitu conspexisset, regem esse, id quod erat, rata, genibus advoluta eius,
8	supplicem misit vocem. Forma erat insignis et florentissima aetas.

1. L. 05: ad regium tabernaculum occupandum vadit. In hac narratione **tabernaculum** significat:

- suggestum
- cubiculum
- tentorium
- sacellum

2. L. 06: Sophonisba, uxor Syphacis, occurrit. In hac narratione **occurrere** significat:

- venire in mentem
- se opponere
- obviam ire
- memoriam de se renovare

3. Quid ab auctore huius narrationis iudicatur insigne?

- Sophonisbae precatio
- Sophonisbae iuventa
- Sophonisbae pulchritudo
- Sophonisbae vox

Es. 5. Veraene an falsae sunt hae sententiae? (2)

8	Itaque cum modo genua
9	modo dextram amplectens ne cui Romano traderetur fidem exposceret propiusque blanditias
10	iam oratio esset quam preces, non in misericordiam modo prolapsus est animus Masinissae,
11	sed amore captivae victor captus. Data dextra id quod petebatur concedit.

	VERUM	FALSUM
1. Sophonisba et crura et manum Masinissae complexa est		
2. Auctor huius narrationis Amorem appellat victorem quia, ut Vergilius scribit (et Masinissa confirmat), "Omnia Amor vincit"		

Es. 6. Elige quid tibi rectum videatur. (2)

8	Itaque cum modo genua
9	modo dextram amplectens ne cui Romano traderetur fidem exposceret propiusque blanditias
10	iam oratio esset quam preces, non in misericordiam modo prolapsus est animus Masinissae,
11	sed amore captivae victor captus. Data dextra id quod petebatur concedit.

1. Animus Masinissae in misericordiam prolapsus est, immo in amorem. **Prolabi** indicat:

- Masinissae adfectus importunus erat
- Masinissae adfectus inconsultus erat
- Masinissae adfectus efferatus erat
- Masinissae adfectus inconsuetus erat

2. Quid Sophonisbae a Masinissa conceditur?

- Ut ille in amorem eius incidat
- Ne Romanis ille fidem tribuat
- Ne captiva Romam adduci possit
- Ut coniunx eius fieri possit

Es. 7. Elige quid tibi rectum videatur. (1)

11	At Scipio, qui iam
12	supervenerat, Masinissam monuit Syphacem populi Romani auspiciis victum esse. Itaque
13	quicquid Syphacis fuisset, praedam populi Romani esse; ipsam coniugem eius Romam oportere
14	mitti, ac senatus populique Romani de ea iudicium atque arbitrium esse.

1. Scipio, de his rebus certior factus, Masinissam statim redarguit. Nam bellum Punicum auspiciis Romanorum pugnari admonet. Quid hoc significat?

- Romani Syphacis cladem praeviderant
- Romani auguria de bono exitu belli soli capere poterant
- Imperium belli apud Romanos erat
- Bellum a Romanis inchoatum erat

Es. 8. Verane an falsa est haec sententia? (1)

11	At Scipio, qui iam
12	supervenerat, Masinissam monuit Syphacem populi Romani auspiciis victum esse. Itaque
13	quicquid Syphacis fuisset, praedam populi Romani esse; ipsam coniugem eius Romam oportere
14	mitti, ac senatus populique Romani de ea iudicium atque arbitrium esse.

	VERUM	FALSUM
1. Scipio Syphacis possessionem Sophonisbam iudicat esse		

Es. 9. Veraene an falsae sunt hae sententiae? (2)

14	Masinissae haec
15	audienti non rubor solum suffusus sed lacrimae etiam obortae. Et cum Scipionem orasset ut
16	<u>quantum res sineret</u> fidei suae temere obstrictae consuleret - promisisse enim se in nullius
17	potestatem Sophonisbam traditurum - Masinissa concessit. Deinde, cum aliquantum temporis
18	consumpsisset, ingenti ad postremum edito gemitu, fidum e servis unum vocat, sub cuius
19	custodia regio more ad incerta fortunae venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad
20	Sophonisbam iubet.

	VERUM	FALSUM
1. Livius, qui huius narrationis auctor est, Masinissam flevisse et erubuisse dicit, quia illum pudebat Scipionem in errore eum comperisse		
2. L. 16: quantum res sineret. In hac narratione "quantum fieri potest" significat		

Es. 10. Elige quid tibi rectum videatur. (4)

14	Masinissae haec
15	audienti non rubor solum suffusus sed lacrimae etiam obortae. Et cum Scipionem orasset <u>ut</u>
16	quantum res sineret <u>fidei suae temere obstrictae consuleret</u> - promisisse enim se in nullius
17	potestatem Sophonisbam traditurum - <u>Masinissa concessit</u> . Deinde, cum aliquantum temporis
18	consumpsisset, ingenti ad postremum edito gemitu, fidum e servis unum vocat, sub cuius
19	custodia regio more ad incerta fortunae venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad
20	Sophonisbam iubet.

1. L. 15-16: Masinissa Scipionem oravit ut fidei suae temere obstrictae consuleret. Quid significat in hac narratione **consulere**?

- a. praevideere
- b. ignoscere
- c. providere
- d. statuere

2. L. 16: fidei suae temere obstrictae. In hac narratione **temere** significat:

- a. inconsulte
- b. fortuite
- c. animose
- d. pavide

3. L. 17: Masinissa concessit. In hac narratione **concedere** significat:

- a. Scipionis deprecationem refutare
- b. Scipionis sententiae pondus tribuere
- c. suam arrogantiam remittere
- d. inde ad alium locum abire

4. Cur a servo custodiebatur venenum?

- a. ut Sophonisba eo uti posset
- b. ut hostes, bello confecto, interfici possent
- c. ne regius mos ab incerta fortuna corrumpetur
- d. ne reges hostium captivi fieri possent

Es. 11. Hic est auctoris verborum paraphrasis. In proxima exercitatione iunge numerum verbo (SEX VERBA TANTUM ELIGENDA SUNT). ATTENTE! MOVE "CURSOREM" USQUE AD ULTIMUM VERBUM. (6)

Scipio Laelio et Masinissae, quibus aliquas legiones commiserat, imperavit ut Syphacis castra **__1__** atque incenderent. Eos, seorsum ad se convocatos, hortatus est ut diligenter **__2__** omnia mandata, **__3__** se hostes non adgressurum donec Syphacis castra flammis incensa vidisset. Eius mandata perfecta sunt. Castris captis, Masinissa regis tabernaculum **__4__** et statim Sophonisba, uxor Syphacis, ab armis et vestimentis eum regem esse **__5__**, genua eius amplexa est et suppliciter **__6__** ne Romanis traderetur. Mulier erat florentissima aetate: regem brachiis cingebat, fidem sibi praestare poscebat, verbis dulcissimis eum blandiebatur, itaque Masinissa, magis quam in misericordiam in amorem inductus, et promisit et fidem ei dedit.

	Adfirmans	Caperent	Commoratus	Coniciens	Decernerent	Erubescens	Imperavit	Intervenit	Intravit	Perficerent	Rogavit	Vocavit
1												
2												
3												
4												
5												
6												

Es. 12. Hic est auctoris verborum paraphrasis. In proxima exercitatione iunge numerum verbo (SEX VERBA TANTUM ELIGENDA SUNT). ATTENTE! MOVE "CURSOREM" USQUE AD ULTIMUM VERBUM. (6)

Sed Scipio **__7__**, qui Masinissam commonuit exercitu Romano Syphacem victum esse, qua re omnia bona eius Romanorum praedam esse; etiam regis coniugem igitur Romam mittendam esse, ut senatus populusque Romanus de ea **__8__**. Masinissa, **__9__** et lacrimans, Scipionem oravit ut fidei suae, a se reginae datae, quantum ei liceret, consuleret. Deinde, aliquantisper **__10__**, ingentem edidit gemitum et fidum servum **__11__**, qui, ut mos erat apud reges, venenum custodiebat eique **__12__** ut id in poculo mixtum ad Sophonisbam ferret.

	Adfirmans	Caperent	Commoratus	Coniciens	Decernerent	Erubescens	Imperavit	Intervenit	Intravit	Perficerent	Rogavit	Vocavit
7												
8												
9												
10												
11												
12												